adulator ostendat ac vicia ne placitis coloret
et ut fallat vel surripere conatur. Si prudens
esse cupis in futurum prospectum intende ut que possunt
contingere animo cuncta propone. Nichil tibi subitum
sit sed totum ante prospiciat. Nam qui prudens
est non dicit non putavi hoc fieri quia non
dubitat sed expectat non suspicatur sed cavet.
Cuiuscunque facti causam require. Cum
initia inveneris exitus cogitabis. Scito
in quibusdam te debere perseverare quia cepisti.
Quedam vero nec incipere in quibus perseverare
sit noxium. Prudens falli non vult. falli
non potest. Opiniones iudicia sint. Cogi
tationes vagas et inutiles et velut sompnio
similes non recipies quibus si animum tuum oblectaveris
cum omnia disposueris tristis remanebis. Sed
cogitatio tua certa et stabilis sit sive
deliberet sive querat sive contempletur non
recedat a vero. Sermo quoque tuus non sit
inanis sed ut aut suadeat. aut moneat.
aut consoletur, aut precipiat. Lauda parce.
vitupera parcius. Similiter enim reprehensibilis
est nimia laudatio ut immoderata vituperatio
illa siquidem adulatione ista malignitate
suspecta est. Testimonium veritati non amicicie
reddas. Cum consideratione promitte plenius
quam promiseris presta. Si prudens est
animus tuus tribus temporibus dispensetur.
presencia ordina. futura provide. preterita
recordare. Nam qui nil de preterito cogitat
vitam perdidit qui nichil de futuro premeditatur
in omnia incautus incidit. Propone animo
tuo et mala futura et bona ut illa sustinere